[illegible] clementer propter gloriam suā ~~[illegible]~~ stulticiae nostrae succurrit.
Satisfaciunt quidem mihi Ecclesiarum DEI recta consilia: sed quia quae me hic ur-
gent causantur circumstantiae Ecclesijs non aperte perscriptas esse omnem rem denuo
ad te perscripsi, quod responderis secuturus. Oro autem propter filium DEI cui conse-
cravimus labores nostros ne nobis velis hac in re deesse. Ita DEUS vicissim mul-
tiplicet erga te misericordiā suam Amen. Illud praeterea quod ad rem facit
ministrum nostrū dum aqua illa impura utitur audiente Ecclesia utrumque testa-
ri, ea ut pura uti reijcereque ut supervacua quae praeter institutionē accesserit.
Vale. Pridie Cal. Augusti. Duisburgi. 1561.

Johannes Molanus.

Nr. 103)

Pax Christi.

M. Nicolao Collio. Vesaliae.

[= Mscr. a. 12: Nr. 23]

Aegidius Becius vir omnium quos ego unque colui modestissimus non eget
cuiusque hominis commendatione ut te cuius id genus fratribus exposita est huma-
nitas, et obvia, benevolum in congressu et ad τὸ ξεναγωγεῖν proclivem exspe-
riatur. Scio te in hac tristi rerum et hominū iactatione plures sensisse ~~[illegible]~~
[illegible]ebitios, eaque causa commoveri interdum animū, abhorrentem a turbis eorū, quos o-
portebat pacis ante omnes studiosos esse. Sed ego hunc virū olim mihi et pa-
tria, et professione, et amicitia coniunctum arctissime, sic perspexi, sic pacifi-
cum cognovi, sic plenum tranquillae pietatis, et eruditionis animadverti, ut si
forte istic rerū suarum sedem ponat (iampridem enim in hoc fuit ut patriae
vicinior esset) non dubitem fide mea recipere neminem tibi fore magis idone-
um ad cavendas peregrinorum turbationes. Nam hoc certe scio neque doctiorē
neque placidiorem virum his annis proximis ex inferiori Germania prodiisse.
Sed mihi non est instituta viri excellentis commendatio, satis est si adire dabi-
tur et colloqui scio te venerandum senem pietatis et consilij plenissimū tua ip-
sius humanitatis instinctu ultro amplexurum esse. In meis rebus nisi longius
hic abfuisset, quam ut eius consilio tam celeriter uti possemus, namque huc ne-
cessitatis ventum esset, ut aut bibendum sit aut abeundū. Equidem nuper te
fretus aliquid spei bonae conceperam, sed quando tam ex animo me video tua au-
thoritate in diversam sententiam impelli et hic meus Becius prius senect.
eodem incendit. Vehementer doleo eiusmodi aliquid a nobis non impie sane
sed imprudenter tentatum esse, quod Ecclesijs Christi et eius gubernatoribus
non probetur. Itaque dabo operam volente DEO ne quid in posterū a me turbu-
lenter aut inconsulte (nam turbae certe nihil dare volumus) factum esse me-
rito dici possit. Huic autem praesenti malo nisi DEUS aliam viā aperiat, vi-
deo cum meo probro potius quam cum Ecclesiae damno pari consulendū esse, nā con-
scientia mea quando aliter haec res fieri non potest in iudicijs Ecclesiae et
bonorū

honorū acquiescit. DEus regat consilia et actiones omniū qui amāt filiū eius Jesū et inuocant eum in ueritate amen. Vale. Dusburgi Nonis Augusti 1563.

Amicus tuus

Johannes Molanus.

Pax Christi

M. Egidio Letrio. [Becio] Nr. 104]

[= Acer. a. 12: Nr. 24]

Tertio demum Octobris tuam consolationem accepi quæ sic abs te temperata e ut qui meum dolorem veris rationibus sublevas ipse in magnis doloribus timi: ti animi robur ostendas. Proinde et gratias ago quod meus luctus tibi curæ fuerit, et quod in tuis ærumnis ad DEi misericordiam confugis, laudo. Sane nō uulgaris affectio est homini pio filij proteruia sicut Patriarchæ querimonia cōprobat Canos meos ad inferos cum luctu deducetis. hanc illi magnus dolor ex filiorū ἀ- ταξίᾳ expressit, qua tanto eum angebat magis: quanto ardentiore studio promo- uendæ pietatis eius animus flagrabat. Sed huius quoque mali unum magnū solati- um est, quod agnoscens DEi miserentis iudicium, reuerenter in ipsius uoluntate ac- quiescit. ex tui uentris fructu intelligens (quod quidem ad me durjuscule scriptu est) quid in te offecerit gratuita DEi misericordia, effundis coram eo cor tuum, querelas paternæ pietatis temperans tum laude iustitiæ, tum gratulatione. Dissipa- tio istorū cœtuum quam mihi tristis videatur nullis verbis eloqui possim. Non du- bito quin aliquod magnum infortunium illis clamatoribus impendeat, qui perecun- nantis Ecclesiæ languoribus non mitigantur. Sed domi habeo quod curem potius sunt enim hic ita disiuncta omnia tam in Scholis quā in Ecclesia ut nihil usquam sani appareat. Quis det nobis ut agamus viriliter expectantes Domi- num qui faciem nostram complet confusione. Nuper huc se transtulit cum fami- lia sua vir eruditus et egregie pius ~~cum familia sua~~ natione Frisius, sed qui apud Heluetios permultis annis vixit in celebritate. Is ut boni aliquid faciat pa- triæ, tentat paulatim propius ad eam accedere. Homo est minime morosus, qui nobis (ut spero) aliquid opis feret ad reliquias colligendas. Videtur DEus adhuc de nobis cogitare cogitationes commiserationis. propter gloriam nominis sui, adiuua nos tuis precibus. nihil promitto (ne quis malus audiat) hanc hyemem istic perdam, interim de rebus omnibus te certiorem faciemus. De libris quod laborau- eris pro magno beneficio amplector. pretium rescribam, Caroli rationibus, eius pa- ter tibi isthic tantundem resonat. Mursæ nihil correctum est praeter tranquil- litatem, quam partim Ducis eruditio, partim loci solitudo conseruabit. Epistolæ tibi erunt aptiores si a nobis interea nihil boni spei ostendatur. Vale de librorū impres- sione nihil quod scribere; nondum ad me peruenerunt. Christus Jesus Rex gloriæ nos corroboret Spiritu suo sancto, seruetque ἀνυποκρίτως usque ad diem aduentus sui. A- men